

tamquam unum ex irrationalibus animalibus, corporeis voluptatibus, solum sequitur carnis appetitum. Inurgitans corporeis voluptatibus, vacuus, & vanus est in anima.

42. Hugo.

Prelati crederentur non ad otium sed in labore.

43. Chrysol.

Intra humana negotia homo vacuus, ac otiosus est a virtute.

44.

Cantic. 3.

Ambros.

Delicta fori nobis impediunt Christi presentiam.

QVÆSTIO VIII.

Quare Paterfamilias, cum solis illis, quos primo mane conduxit, conventionem fecerit ex denario, non verò cum alijs?

45.

Ratio difficultatis est in promptu, nam quos Paterfamilias primo mane vocavit, deter-

minatam pactum inivit cum eis. Conventionem autem facta ex denario diurno. At verò cum his, quos hora tertia vocat, & sic de cæteris, nullam conventionem facit, sed tantum ait illis, quod iustum fuerit, dabo vobis.

Ratio difficultatis.

Prima, & communis solutio est cum Abulens. qu. 13. Maldonato, ac alijs; Qui asserunt Christum Dominum communem consuetudinem fuisse secutum: Non enim solemus certam mercedem assignatam pro labore vnius diei polliceri, nisi eis operarijs, quos mane conducimus, cum totius diei laborem ab ortu solis vsque ad occasum sustineant; qui vero ferius vocantur, ac si iam nihil sint lucraturi, nil certi promittitur, sed tantum pollicemur aliquid rationale illis daturum, & hoc dixit Paterfamilias, quod iustum fuerit dabo vobis. Secundò aliter respondet D. Thom. Quia illi vocati hora tertia poterant tam feruenter operari, vt recuperarent tempus amissum, & inde mereri totam plenam mercedem, & ideo determinatè eis non pollicetur aliquid; sed tantum dicitur, quod iustum fuerit dabo vobis.

46. Abulens. Maldon.

Tertiò. D. Chrysol. in Imperfecto homil. 34. Iste ait, scilicet vocatis hora tertia: non facis pactum, Benignus enim Paterfamilias sciebat largi a tem suam, quia tantum paratus est retribuere, quantum mercenarij recipere non sperabant. De dato enim eius nemo iuste murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat. Quare Paterfamilias non paciscitur de stipendio cum his operarijs? Optimè ipse sciebat hominum conditionem, qui de proprijs laboribus multum solent præsumere, & non acquiescunt cuiilibet eorum mercedi. Cur ergo pactum non inivit pro pretio persoluendo? sciebat Paterfamilias, quod dona sua valde superabundant omnem nostrum laborem, & votum, vt etiam omnem murmurationem hominum abluant, semper in immenso nostra obsequia excedunt. De dato enim nemo iuste murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat.

D. Thom.

47. Chrysol.

A muliere Sareptana postulat Elias frustum subcinericij panis. Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Elie, & comedit ipse, & illa, & domus eius, 3. Reg. 17. n. 16. Pro paruo pane cinericio non solum integer panis est datus, sed in tantam abundantiam crevit ille panis, vt ipsa, ac tota eius domus comederet, non per vnum diem, vel alterum, sed per multum tempus quoad vsque Dominus dedit pluuiam. Pulchrè D. Chrysol. homil. de Decolatio. Baptist. apud Metaphrastem ait: Ipsa quidem festinamer fecit, quæ iussa fuerat. Ille autem cum illum diuise accepisset panem subcinericium, & gustauit, & eius domum impleuit bonis. Expende verbum: diuitem panem. Ille panis datus Propheta, erat paruus, & vilis, vnde diues? Panis ille exhibitus erat Deo in Propheta, inde fons diuitiarum in domo illa est habitus cum multa abundantia. Pro quo vide multa supra c. 5. n. 158. 159. & c. 8. num. 169. Vide tom. 2. & 3. verb. Liberalitas.

48.

3. Reg. 17.

Deus largè remunerat parua nostra obsequia. Chrysol.

Matth. 21. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis: quid hic statis tota die otiosi?

num. 6.

Num. 7. Dicunt ei: quia nemo nos conduxit: Dicit illis: ite & vos in vineam meam.

VERSIO

VERSIONES.

- Græcus, & Syriac. n. 6. Pagninus. Et inuenit alios stantes otiosos. Cur hîc statis totam diem otiosi? Arias 7. Quia nemo nos mercede conduxit. Vatabl. Pagn. Abite vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, accipietis. Syriacus. Quibus subditite & vos in vineam, & quodcumque oportuerit, accipietis.

EXPOSITIO III.

49.



IRCA vndecimam vero exiit. Hic notatur summa Patrefamilias sollicitudo, quæ omni hora quærit operarios. Hora enim vndecima vltima est diei hora, dies enim clauditur hora duodecima, vt dixi quæst. 1. Ex quo vocati hac hora, per vnam horam solummodo laborarunt in vinea. Inuenit alios stantes. Græcus & Syriacus addunt, otiosos. Dicitur, quod inuenit eos, hos antea non viderat, fortalsè, quia antecedentibus horis non fuerat in foro, vel quia absconditi erant delicijs carnis, & mundi otio vacantes. Quid hic statis tota die otiosi? Hos increpat, & non alios, quia maiorem diei partem inutiliter expenderant, vt ait Abulens. quæst. 15. & nihil aliud arguit in eis, nisi otiositatem, hæc enim est mater, & origo omnium vitiorum, ac malorum. Quia nemo nos conduxit. De more hominum culpam suam in alios refert volunt; & ne eos turbet Dominus, vltimus non reprehendit, sed allicit, & quamuis vltima diei hora esset, eos mittit in vineam. Ite vos in vineam meam. Docens nos, quod etiam in vltima vitæ hora non amittat homo bene operari, quia adhuc tunc potest consequi vitam æternam.

Græcus. Syriacus.

Abulens.

50. Culpam in alios refert.

QVÆSTIO IX.

Quare ex omnibus vocatis, inuenti hora vndecima arguuntur à Patrefamilias, vt otiosi?

51.

Matth. 22.

Res non per ministros, sed per Dominum tractanda.

Vo in limine huius quæstionis notanda sunt. Primum. Quod Rex ille, qui fecit nuptias filio suo, misit per seruos suos vocare inuitatos, & noluerunt venire, Matth. 22. 3. cum ad prandium vocarentur. At hic Paterfamilias à primo mane vsque ad horam vndecimam vocans ad excelendam vineam suam semper inuenit paratos operarios. Hic Paterfamilias per se exiit, vt vocaret; Rex vero ille misit seruos suos. Cum Rex per ministros negotiatur, etiam ad prandium homines non inueniuntur, & deficiunt; at vero cum Paterfamilias per se exiit, & vocat, semper, & omni hora ei operarij supersunt, & abundant. Vide cap. 3. num. 62. & multa verb. Minister, hoc tomo, & 1. 2. ac 3.

51.

Secundò notandum, quòd si hic bonus Paterfamilias arguit, quos nondum conduxerat, nec in

vineam suam adhuc erant, & intrauerant, dicens: Quid hic statis tota die otiosi? Quam ergo asperius, ac rigidius reprehendendi sunt illi, qui iam conducti, & in vinea Domini, ac Ecclesia stantes otiosi inueniuntur, nullum fructum bonorum operum afferentes. Vide supra cap. 27. num. 107. & 108.

Arguendi, qui in Ecclesia non faciunt fructum.

Quæstio præteris est, quare vocati hora tertia, sexta, nona, quamuis inuenti fuissent otiosi, non arguuntur à Patrefamilias de eorum otiositate, vt illi, qui vocati sunt hora vndecima? Et hos otiosos ad vineam suam vocat. Ipse omnes inuitans Matth. 11. num. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Cum ergo omnes laboremus in hac vita, quæ est tantarum miseriarum plena, quomodo hic ait, quid statis tota die otiosi? Forte quia maxime laborant, qui otio torpent, & ipsa otiositas graue onus erat, & magnus labor non laborare; quod homo opere, ac labore indignus iudicatur. Origenes homil. 10. in Matth. Nos, ait, non portauimus pondus diei, & astus; portauimus autem pondus, eo quod sterimus otiosi, antequam Paterfamilias veniret ad nos, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Onus enim erat otiositas ipsa, & quod non indicabatur interim ad opera vitæ digni.

52.

Math. 11. M. nus labor non laborare.

Origenes.

Ratio literalis ea mihi videtur; quia alij bonam partem diei sine opere steterunt, hi vero quasi per totum diem otio indulerunt; ex quo accipere documentum, quod aliquantulum dissimulari potest cum illo, qui per aliquod temporis spatium delinquit, minime verò cum illo, qui diuturnus, ac perseverans est in suis delictis, & in illis persistens quasi ad vltimum vitæ venit.

53.

Increpanda negligentia per multum tempus.

Secundò. D. Thomas: Vidit primos, ait, & non increpauit. Istos autem vidit, & increpauit, quia primi adhuc infirmi sunt, & dominantur passionibus in eis, ideo excusandi sunt, quod non expendunt tempus in seruitio Dei, sed senes abundant sensibus, ideo illos increpat. Per primam, tertiam, sextam, nonam, & vndecimam horam significantur hominis etates. Iuuenes aliquam excusationem possunt habere significati in primis vocatis, quod Deo toto corde obsequia non exsoluant, nos hos seruens atque, & affectibus proprijs multum propensa frequenter obcæcat. At vero senes adumbrati in vocatis vndecimæ horæ, nullam merentur excusationem, & dignissimi sunt, vt maxime arguantur, si in Dei famulatu torpeant, & futuram penitentiam contempnant, cum dies rationis iuxta naturæ legem maxime illis instet. Sic ait Cardinalis Hugo, qui ad vsque vltimam vitæ horam: Mandatorum Dei obliuiscens carnis illecebris confractus est, tota die otiosus. In senectute maxime se homo debet præparare ad mortem. Seneca epistol. 72. Ante senectutem curauit, ait, vt bene viuere, in senectute, vt bene moriatur.

54. D. Thom.

Hugo.

Seneca.

Tertiò. Hugo: Quid hic statis mandatorum Dei obliuiscens, carnis illecebris confracti? Tota die, id est, tota vita. Otiosi vobis nihil proficientes, penitentiam non agentes, in posterum non providentes. Arguuntur isti de otio, qui non proficiunt in virtute, penitentiam de suis delictis non agunt, ne in posterum prouideant mala futura.

55.

Hugo. Qui non proficiunt, otiosi.

Quartò. D. Palchal. lib. 9. in Matth. Eos tota die, ait, otiosos sterisse dicimus, quia non in labore legis fuerunt, non in aliqua Dei cultura, sed male stabant otiosi, suis viribus decertantes, erecti contra Deum ne crederent. Stabant autem, ac si lapides erecti, quos adorabant in Deo, similes eis facti. Hi qui

56.

Palchal. Quilibet suam iniquitatem formam, & habitum representat.

qui vocantur hora vndecima Gentiles reputantur, qui adorabant Deos lapideos, & ligneos, ex quibus contraxerunt, vt fierent immobiles, tanquam lapides, & ligna, adoratores lapidum immobiles, vt lapides sunt, semper enim vitia sequentes, eorum conditionem, naturam, ac formam repraesentant, & ebibunt.

37. Pfall. 21. Iustin. Theodor. Euseb.

Circumdedere me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, Pfall. 21. num. 13. Per tauros, & vitulos Iudaei significantur, quos persecutores suos dicit, vt docent D. Iustinus in Tryphon. Theod. Eusebius, Didymus in Catena Graeca. Cur tamen vt vituli habentur, ac reputantur? De eis ait idem Psalmista: *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile, Pfall. 105. num. 19.* Cum Iudaei fuissent vituli adoratores, vitulumque sequerentur, consequens fuit, vt formam morum vituli, ac pecudis exprimerent, & haberent, adoratoresque vituli, vituli moribus interficerentur, & vt ex hominum conditione in pecudes degenerarent. D. August. serm. 97. de tempore: *Pracebat, ait, in eremo populus carens spiritu vitulus figuratus, vt tali duce demens populus vteretur, qualis erat, & ipse delictis effectus.*

August.

38.

Latè probat Apostolus, quod Deus vnicuique seminum, cum resurgunt, proprium dat corpus, non aliud tamen specie ab eo, quod seminatam, & dissolutum est, quamuis immutatum exurgat. Et ait: *Alia quidem hominum caro.* Eorum scilicet, qui ratione, ac prudentia ducuntur: *alia vero pecorum.* Instar pecudum deliciis affluentium. *Alia volucrum;* Martyrum scilicet, qui per suos cruciatus tanquam alites in caelum volant, *alia piscium,* eorum nempe, qui sacro baptisinate enatando vitam conceperunt. Tota interpretatio est ex Tertullian. lib. de Resurrect. cap. 52. Post datam doctrinam subdit Apostolus: *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, 1. Corinth. 15. num. 11.* cum Apostolus ait. Ecce mysterium vobis dico; ad magnam attentionem legentes excitat Apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Apostolus praedixerat, quod res per resurrectionem immutantur. Sic ipse ait ibidem: *Seminator in corruptione, surget in incorruptione; seminator in infirmitate, surget in virtute. Seminator corpus animale, surget corpus spirituale.* Ac proinde per resurrectionem semper corpora mutabuntur, erunt enim deinceps immortalia; quomodo ergo ait Apostolus: *Non omnes immutabimur?* loquitur de damnatis, qui quodammodo immutati non videntur. Mutantur autem Iusti; Nam Martyres per plagarum signa exundant splendore, eruntque radij, tanquam pennae, quibus ad sublimia euehi videntur. Sancti per baptismum ita candidi apparebunt, vt oues lotae ascendentes ebiberunt, ita in eis eorum malitia est impressa, & consignata, vt in ea persistentes, eandem suam iniquitatis formam exhibebunt, & repraesentabunt; ac proinde ab ipsa iniquitatis forma mutati non apparebunt. D. Cyrillus: *Resurgunt, ait, quidem omnium corpora immortalitatis induta gratiam, at non omnes immutabuntur, sed in bonis permanebunt impij; soli vero immutabuntur Iusti, nimirum ad immortalitatis commodum immutati, & diuina gloria indumento ditati.*

Tertull.

1. Cor. 15.

Sua iniquitates homo repraesentat, & ab illis infamatur.

Cyrius.

Cyrius: *Resurgunt, ait, quidem omnium corpora immortalitatis induta gratiam, at non omnes immutabuntur, sed in bonis permanebunt impij; soli vero immutabuntur Iusti, nimirum ad immortalitatis commodum immutati, & diuina gloria indumento ditati.*

\* \* \*

QUESTIO X.

Quare vocatis vndecima hora non aliquam mercedem pollicetur Paterfamilias, vt factum est cum alijs?

RATIO difficultatis est, quia omnibus, quos Paterfamilias vocauit, mercedem promisit. Nam primos conuentione facta ex denario diurno misit in vineam suam. Tertia hora alios conuocans ait illis; *quod iustum fuerit, dabo vobis.* Et similiter fecit cum his, quos hora sexta, & nona inuitauit. At vero his, ad quos venit hora vndecima tantum dixit: *Ite vos in vineam meam.* Et nihil stipendij, ac praemij appofuit.

59. Ratio difficultatis.

Respondet primò Palatius. Qui vocati fuerunt primis horis, erant Iudaei, postremi vero Gentiles; Iudaicus populus tanquam terrenus, mercedis spe ad laborem inuitandus fuit. Gentilis ad laborem venit, sed excellentiori modo, obsequium suum Deo exhibens, ita tamen vt terrenae mercedis promissione non indigeret. Secundo. Vocati hora vndecima maxime de otiositate arguuntur: *Quid hic statis tota die otiosi?* Magna autem erat illis merces assignata, quod ab otio omnium malorum origine vocarentur, & in laborandi, ac merendi re exercitarentur.

60. Palatius.

Magna merces ab otio reuocari.

Tertio. Iudaei carnales, ac terreni, ac proinde obiecta mercede vocantur; At Gentiles denotati sub his vocatis vndecima hora adducebantur, vt Deo excellentissimo modo inferuirent, & ideo inducendi fuerunt, vt potius amore, quam mercede obsequia persoluerent, ita vt pra amore nihil aliud intenderent, nisi seruire, & obsequia Deo dare. Vide supra cap. 22. num. 14. 15. 16. 17. & num. 75.

61. Viri perfecti sine premio seruiunt.

Quarto. Ait D. Gregorius Nazianzenus, orat. in sanct. Baptisma: *Illud dicam hoc ipsum impensius laborasse vberioris mercedis loco habendum esse his certe, qui animo sunt non omnino illiberali, & sortido.* Vocantur isti vltimi, tanquam magni viti, quorum ingenium est, labores pro Christo tanquam magnam mercedem reputari; Mittuntur in vineam non assignato stipendio, ipse enim labor eis praemium erat. *Hoc ipsum impensius laborasse vberioris mercedis loco habendum esse.* Magna illa inelyta Machabaeorum mater septem filios pulcherrimos nouis, & inauditis tormentorum generibus vidit cruciari, de qua ait D. Ambrosius lib. 2. de Iacob. cap. 11. *Quis hanc beatam neget, qua quasi septem vallata numeribus inter corpora filiorum, nullum sensit mortis dolorem.* Expende illud, *Septem vallata numeribus.* Filiorum cruciatus tanquam magna beneficia, ac dona iudicauit, quibus beneficiis munita intrepidè mortem expectauit.

62. Nazianz.

Viro magna ipse labor merces.

Ambros.

Quinto. Hora vndecima, ac vltimè vocati ordinabantur vt essent primi; non assignatur eis merces, vt non mercedem, sed tantum Dominum respiciant, ad ipsumque habeant totam suam mentem, & oculos; Illi enim, qui pra omnibus Christum respiciunt, vt ei inferuiant, in ipsoque totam suam mentem, ac spem defixam habent, quamuis alias sint vltimi, sunt primi, primasque tenent.

63.

Ordinans Deus casta filiorum Israel; ait Numer. 2. num. 3. *Ad Orientem Iudas figet tentoria per turmas*

64. Numer. 2.

turmas exercitus sui; eritque princeps filiorum eius Naasson filius Aminadab. Et subditur ibidem n. 9. *Uniuersi qui in castris Iuda numerati sunt, fuerunt centum octoginta sex milia quadringenti, & per turmas suas primi egredientur.* Totus exercitus filiorum Israel in quatuor acies, seu cuneos diuisus erat. Ad Orientem stabat vexillum prima aciei, puta Archiducis Iudae, sub quo ordine erant Issachar, & Zabulon. Ad Austrum erat vexillum Ruben, sub quo erant Simeon, & Gad. Ad Occidentem collocabatur vexillum Ephraim, sub quo militabant Manasses, & Benjamin. Ad Septentrionem apparebat vexillum Dan, sub quo residebant Aser, & Nephtali. Cur tamen in hac totius exercitus dispositione Iudas primum tenet locum, clarissimamque Orientis plagam occupat? Iudas inter suos fratres quartus filius erat; Ruben autem primogenitus, primusque benedictionem à Patre accepit; cur ergo non haberet ipse primum locum, cur & Iudae deferretur, & cum tanta excellentia vt primus ad bellum exeat? *per turmas suas primi egredientur.* Destinabatur Iudas, vt Christi natalibus ministraret, carnem scilicet, sanguinem, ac locum natiuitatis, subque Christi spe totus vivebat, inde factum, vt quamuis quartus esset in loco, tamen primas tenuit, primusque inter omnes numerari debuit. Sic & populus Gentilis in Iuda figuratus quamuis postremus esset, cum tamen Christum cepit respicere, ac sub ipso viuere, statim omnia prima, ac lucidissima obtinuit. D. Cyrillus Alexandrin. lib. 10. de Adorat. *Vides, ait, primo loco positum esse Iudam, & eius socios, & praecipuum habitare locum ad Orientem, & Austrum: nam qui in Christo sunt, in lumine versantur, & spiritu fruunt. Secundo loco Ruben, & eius socios. An non perspicuum est, ac minime dubium antelatum esse eum primogenito, ac prius vocatum, qui secundus est, populus nimirum, qui est in Christo.* Ait Regius Vates: *Hac est generatio quarentinum. Dominum, quarentinum faciem Dei Iacob, Pfall. 23. n. 6.* Cur potius dicit Deum Iacob, quam Abraham, vel Isaac? Iacob quamuis esset secundus filius Isaac, magno desiderio in Christum ferebatur, dicebatque *salutare tuum expectabo Domine, Gen. 49. num. 18.* ex cuius desiderio, ac habitu hoc habuit, vt cum postremus esset in domo Patris sui, primogenituram tamen tenuit, primatumque habuit, ideo dicitur generatio quarentinum faciem Dei Iacob. Nam qui ipsum quarentum, quamuis vltimi, ac postremi sint, primi tamen sunt. D. August. ad citat. Pfall. *Quarentinum faciem Dei Iacob, qui posterius nato primatum dedit.*

Qui sub Christo uiuunt, semper primi.

Cyrius.

65. Pfall. 23.

Gen. 49. Qui Christi quarentum, quamuis vltimi sint, sunt primi.

August.

QUESTIO XI.

Quare Paterfamilias non arguit hos operarios de mendacio, cum ipse per omnes horas exisset ad eos vocandos, ac conuocandos?

66.

Gregor.

DE otiositate hos vltimo vocatos arguit Paterfamilias, quid hic statis tota die otiosi? Qui dicunt ei; quia nemo nos conduxit, quod ad sensum parabolae explicat D. Gregorius Magn. homil. 19. in Euang. tanquam Gentium nomine, dicens: *Ad laborem nemo nos conduxit; quia uia nobis uias nullus praedicauit.* Alludit sanctus Doctor

ad illud Pauli: *Quomodo audient sine praedicante?* Rom. 10. num. 14. Ad sensum tamen moralem ueniamus; dicunt, quia nemo nos conduxit: quia culpam suam in alium refundere uolebant, vt dixi in expositione, & mos est hominum. Vide supra cap. 9. n. 36. & cap. 10. n. 19. & tom. 2. ac 3. Verb. Culpa; in Indice.

Rom. 10. Culpam uolunt in alium referre.

Quaestio tamen praesens est. Quare cum isti homines excusare suam otiositatem uolentes dicunt: *Nemo nos conduxit*, Paterfamilias eos de mendacio non arguit; nam ipse omnibus horis, prima, tertia, sexta, ac nona exiit in forum, & omnes, quos praeparatos ad operandum inuenit, conduxit, ac uocauit in vineam suam, si ergo isti etiam essent praeparati ad operandum, etiam inuitaret ad excolendam suam vineam, vt cum alijs fecit; cur ergo Paterfamilias eis non obiicit mendacium, & quod ipse per omnes horas ad eos conuocandos exisset?

67.

Difficultas quaestiois.

Respondeo. Pulchre Paterfamilias dissimulat, eosque de mendacio non conuincit, sed eorum excusationi acquiescit; Optime sciebat mendacium ingenium esse, vt pro vna falsitate tuenda, ac sustentanda, plurima mendacia conglomerantes dicant, & astruant, & ideo eorum excusationem non discutit, sed eorum saluti consulens eos mittit in vineam suam: *Profert mendacia uersipellis,* Prouerb. 14. num. 25. Id est, vir plenus dolis, ac uersutijs, vt explicat Iansenius. Pro vno enim mendacio multas uersutias, dolos, ac falsitates dicunt, & proferunt tales.

68.

Vnum mendacium uolens mendacis defenditur.

Postquam Iudas, & fratres eius uendiderunt Ioseph in Aegyptum: *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine haedi unxerunt eam mittentes, qui ferrent ad Patrem, dicentes: Hanc inuenimus, uide uerum tunicam filij tui sit, an non?* Genes. 39. n. 31. Scelus uenditionis obtegere uolunt mendacio persuadentes patri Ioseph à bestia interfectum esse. P. Belle D. August. lib. 2. contra Aduersarium legis, ait: *Patrem decipere uolentes mendacis se redimunt.* Et Lippoman. *Ad tempus, ait, mendacio se redimunt.* Illud mendacium Ioseph nempe occisum esse à bestia multis mendacijs uolunt redimere, ac eximere à patris cognitione, & intuitu; Vide pro hoc sustentando, quot mendacia statuunt; primò dicunt se tunicam inuenisse sine puero, cum tamè puer cum illa indutus ei obuiam factus esset. Secundo, dicunt eos illam inuenisse: *Hanc inuenimus,* cum tamen ipsi eam à Ioseph extraxissent. Tertio. Repertam asserunt sanguine foedam, cum tamen ipsi eam sanguine commaculauerint. Quarto; imponunt sanguinem haedi, suadentes humanum sanguinem esse. Quintò; tanquam dubitando rem ostendunt: *Vide uerum tunicam filij tui sit, an non?* Cum ipsi tamen certo scient tunicam illius esse, patrem decipere uolentes mendacis se redimunt. Statuentes vnam deceptionem, ac mendacium erga patrem multis mendacijs illud redimunt, ac defendunt.

Prouerb. 14.

69. Gen. 37.

August. Lippoman.

Vnum mendacium multis mendacijs redimunt.

Matth. 20. Cum serò autem factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo. Vocca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis ad primos.

Num. 9.

Cum uenissent ergo, qui circa vndecimam horam uenerant,